

Hæc Cyrillus, conformiter ferè ad disciplinam Græcorum, qui hodie unguunt baptizatum non tantum in fronte, sed & in oculis, & in naribus, & in utraque aure & pedibus. Ita Rituale editum à Jacobo Goar pag. 356.

IX. Conveniant Græci & Latini, quòd signent sive unguant adhibito signo crucis. Hic appositè exponet Parochus, ait S. Carolus, "illo crucis signo, quo Christus Dominus triumphavit, Christianum hominem, in cujus fronte dum confirmatur, in numerum adscribi fortissimorum ejus militum."

X. Christina per modum crucis fronti confirmandi inclinans Episcopus ritu Latino dicit: Signo te signo crucis & confirmo chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.

Quo tempore hac formalia Ecclesia Latina uti cœperit, incertum est; hoc certum est, Græcos hac formula nec olim usos fuisse, neque hodie uti; creduntque plures formam hodiernam Græcorum esse: Signaculum domi Spiritus sancti; neque Ecclesiam Latinam Confirmatione in ritu Græcorum ita factam improbare. Certum quoque est, formulam illam Latinorum primis decem sæculis notam non fuisse; neque ullum auctorem ante sæculum 12. illius meminisse; ac consequenter dici non posse formam essentialem hujus Sacramenti; ut latius ostendit Farvacquius in Opusculo de hoc Sacramento cap. 3. q. 2. ubi §. 2. monet, quod mens Eugenii IV. in instructione pro Armenis non fuerit essentialis Sacramentorum formas, sed ad summum assignare formas ordinarias in Ecclesia Latina usitatas; ut ita Armeni de ritu Ecclesiæ Romanæ essent instructi.

XI. Non dubium, quin post addita hæc verba: CONFIRMATIO te chrismate salutis, Sacramentum hoc vulgari nomine Confirmationis nuncupari cœperit; quo nomine nunquam vel rarò apud Veteres nuncupatum legitur; quibus tamen verbis & nomine convenienter præcipuus Sacramenti effectus rectè indicatur; qui est spiritualis Confirmatio sive roboratio ad resistendum diabolo, & fortiter standum pro Evangelio & Christi nomine; quem admodum loco citato exponit S. Carolus.

XII. Ubi frons inunctio peracta est, Episcopus confirmatum leviter in maxilla cadit. Non per antiquam esse eam caeremoniam, probat silentium omnium Auctorum qui de Officiis Ecclesiasticis sæculo 9. & 10. scripserunt; illius tamen rationem piam hanc assignat S. Carolus: "Ut sciat homo Christianus, se jam militem esse, cujus pugna & victoria eluceat in patiendis injuriis, non illis inferendis; deinde se in Christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vitæ jucunditates & commoda quaeratur, sed in commoda potius, atque adeò mala multa patienter ferat: ac præterea intelligat officii sui esse in acie stare: te, laque unde veniant observare; ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque lædantur, anima tamen nullo pacto offendantur."

XIII. Demum pacem impartitur confirmando Episcopus ritu antiquo; utpote cujus meminit pristinus Ordo Romanus sæculo 7. conscriptus.

Pacem dari ostendit Parochus, ait S. Carolus, "ut intelligente te gratiæ cœlestis plenitudinem, & pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consecutos esse."

XIV. Denique juxta hodiernum Ecclesiæ Latinæ morem in hoc Sacramento, non secus ac Baptismo, adhibentur Patrimi & Matrini; atque ratione susceptionis etiam

hic cognatio spiritualis constituens impedimentum, etiam dirimens matrimonium, contrahitur.

Quod apud Veteres horum Patrinorum mentio non fiat, mirum apparere non debet: quandoquidem, uti supra monuimus, pluribus sæculis hoc Sacramentum à Sacramento Baptismi vix separaretur; ideoque admodum verisimile est, disciplinam adhibendi speciales Patronos seu Sponsores vel Susceptores confirmationis incepisse, postquam Confirmatio desuit una cum Baptismo administrari. Dum enim conjunctim conferebantur Confirmatio & Baptismus, credebantur Patrimi sive Sponsores pro utroque intervenire; unde contigit, ut facta separatione, etiam separatim adhiberi cœperint Patrimi; ut ita antiquus ritus manere videretur.

XV. Synodus Audomarenfis Anno 1583. tit. 4. cap. 5. ne Patrinorum hæc adhibitio in Confirmatione reddatur inutilis voluit, "ad id muneris non quoslibet absque discrimine adsumi, sed ejusmodi omnino, qui ut spirituales parentes & possint & velint eorum, quos ad Confirmationem obtulerint, paternam curam gerere, eosque instruere, quomodo adversus visibiles & invisibiles salutis hostes ut dimicandum certandumque viriliter. Hæc beator itaque delectus & ratio talis, qualem Patrinorum in Baptismo habendam esse præscripsimus."

Et Synodus Mechliniensis P. II. tit. 4. c. 2. declarat, "qui in Baptismo Patrimi esse non possunt, nec hic esse posse."

XVI. Synodus Cameracensis P. II. tit. 7. cap. 1. vult ut Parochus Patrinorum officium exponat populo; nempe quod eorum puerorum, quos susceperint, tamquam filiorum spiritualium curam gerere, eosque prima fidei rudimenta docere debeant, si ea ignorent.

Addit hæc Synodus, ut singuli puerorum ab aliquo præsentandi adducantur, "mares quidem ait, quoad fieri poterit à viris, & puellæ à mulieribus."

XVII. Synodus Bulcòduensis tam sub Melfio, quam Mafio, monet consulendū parentibus, ut pro præsentantibus seu tenentibus assument, quantum fieri poterit, consanguineos aut affines, aut eos qui in sacris Ordinibus constituti sunt. Rationem addit Synodus sub Mafio: Ne multiplicentur Matrimonii impedimenta. Id ipsum moment Decreta Diocesis Gandensis sub Antonio Triest. tit. 4. cap. 2.

XVIII. Dum Sacramentum hoc ministratur, ait Synodus Bulcòd. sub Mafio c. 7. non modò qui illud suscipiunt, sed etiam eos offerunt, sed quotquot etiam præsentent sancto illi ministerio adfunt, sanctè pieque orent, ac summa animi intentione spectent, quod in illa solemnitate ministerii celebritate peragitur tum vero mente reputent cœlestia illa Spiritus S. dona, quæ illius Sacramenti virtute Fidelibus impendantur: in primisque tacita meditatione ne videant, quas in illis progressionem habeant, & an vitam agant tanta cœlestium donorum ubertate dignam.

Hoc laudandum suum Decretum; & hodie meritò sæpius inculcandum desumpsisse videtur Synodus ex Concilio V. Mediolanensibus sub S. Carolo cap. 8. ubi ad verbum exhibetur.

XIX. Addit deinde clausulam quæ nominis mutationis in hoc Sacramento fieri solitæ rationem indicat: "Ut qui hæc genus non ad notitiam Christi Domini vitam instituit, jam abjecto nomine ejusmodi, depositoque veteri homine, & antiqua fœcundia, rursusque novo ac sancto susceperit nomine, vitalem in sanctè agendo constantiam perpetuò deinde præstet."

7. Agnoscent Latini utrumque esse materiam sufficientem.

8. Quisque debet servare in usu panis consuetudinem & præscriptum suæ Ecclesiæ.

9. Forma hujus Sacramenti sunt verba quibus Christus illud confecit.

10. Non usdem verbis in omnibus Liturgiis exprimitur forma consecrationis Panis.

11. Varietas est in forma consecrationis Calicis.

12. Forma hodierna consecrationis Latinorum præsertim Calicis integra non est de essentia Sacramenti.

13. Forma hodierna necessariò ab omnibus exactè servanda.

14. Forma Consecrationis Calicis non continetur quoad omnia in Scriptura; est tamen conveniens.

15. Solus Sacerdos potest hoc Sacramentum consecrare.

16. Diaconi aliquando hoc Sacramentum populo distribuunt.

17. Diaconi id faciunt ut ministri Sacerdotum.

18. Distributio Calicis magis propria fuit Diaconis quam Panis consecrati.

19. Quamdiu hæc disciplina duraverit; & quæ hodie illius vestigia?

20. Hodie soli Presbyteri distribuunt; & quidem soli Pastores jure ordinatio.

21. Aliquando Religiosi veterum fuit Eucharistiam sine consensu Parochi populo distribuere.

22. Hodie, excepta Communione Paschali, in omnibus parochiis Ecclesiis, & ab omnibus Presbyteris distribuitur.

23. Unde hæc licentia invaluerit?

24. Quæ hinc incommoda?

I. Eucharistia vox Græca, propriè Latine significat gratiarum actionem: quare Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi dictum est Sacramentum Eucharistia, vel simpliciter Eucharistia à factò Salvatoris; qui illud instituit gratias egisse Patri Evangelistæ & Paulus testantur.

De hoc Sacramento habet hodierna fidei professio: "Profiteor in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, esse verè, realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem, unam cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fientique conversionem totius substantiæ panis & Corpus, & totius substantiæ vini & sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi."

II. Hæc à Pio IV. hujus formulæ professionis auctore desumpta fuerunt ex Canonibus Concilii Tridentini Sess. 13. ubi tres sequentes Canones in hanc rem editi sunt. Primus: "Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem, unam cum anima & Divinitate Domini nostri IESU CHRISTI, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodò esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit. Secundus: "Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini unam cum Corpore & Sanguine Domini nostri IESU CHRISTI, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; quam quidè conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat: anathema sit. Tertius: "Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujuslibet speciei partibus; separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit."

III. Circa tertium Canonem observat Palavicinus lib. 12. hist. Concilii Trid. c. 2. n. 15. "Cum hic Canon à Patribus delectis ita fuisset conformatus: Si quis dixerit, sub qualibet specie, & sub qualibet ipsius parte non contineri totum Christum, sit anathema; Ioannem Amilianum Hispaniensem, Tudætanum Antistitem monuisse, ut ad jice-

retur, factà separatione, siquidem variabant sententiæ, an Christus esset sub qualibet particula hostiæ integra: atque ita effectum est.

Veritatem horum dogmatum contra nostri temporis Hæreticos varii Theologi doctissimis tractatibus ex Scriptura & traditione solidissime astruerunt, atque præ cæteris eruditus Auctor Operis Gallici cui titulus: Perpetuité de la Foy.

IV. Materia hujus Sacramenti, prout exprimitur in Decreto Eugenii IV. pro Armenis (quod extat tomò 13. Concilii generalium pag. 529.) est panis triticus, & vinum de vite.

Quid sit panis triticus; quid vinum de vite petendum ex vulgari æstimatione & judicio. Vnde omitti s Philosopherum aut aliorum subtilibus de his disputationibus, nunquam pro materia hujus Sacramenti aliud adhibendum, extra casum necessitatis, nisi illud; quod juxta vulgare & commune judicium habetur & dicitur propriè panis triticus, & vinum de vite.

V. Quæ sit species vini parum refert; modò revera sit vinum de vite: & uti advertit Cardinalis Bona lib. 1. Rev. Liturg. c. 23. n. 1. "nulla unquam de vino inter Catholicos, eos quæstio fuit; omnes enim vini nomine audito, illud statim mente concipiunt quod ab uvis exprimitur, & hominibus in potum exhibetur."

VI. De pane verò, pergit Cardinalis Bona, inter Orientales & Occidentales acerrimæ motæ sunt lites; nam Orientales fermentato utuntur, & hunc solum legitimum esse materiam hujus Sacramenti affirmant; Occidentales autem in azymis conficiunt, utentes tamen fermento non damnant. Adherent Latinis in usu azymorum Maronitæ & Armenii, sed quo tempore his uti cœperint præter morem cæterorum Orientalium difficile est invenire. Hæc ille, qui ibidem post Jacobum Sirmondum sustinet, etiam Ecclesiam Latinam multis sæculis usum fuisse pane fermentato; nec nisi post scisma Photianum usum azymorum introductum: e contra verò Christianus Lupus tomò 3. Scholiorum Dissertatione de Actis Leonis IX. c. 7. & sequentibus, & post ipsum eruditus Mabillonius in singulari Dissertatione De pane Eucharistico Azymo Fermentato multis ostendere voluit; usum Azymorum in Ecclesia Latina antiquissimum esse, & multis sæculis schisma Photianum antecessisse.

VII. Quidquid sit de hac facti quæstione, multis difficultatibus intricata, illud sat certum, utrumque panem, tã azymum, quã fermentatum esse veram & sufficientem hujus Sacramenti materiam; ipsamque diversum usum esse unum è punctis disciplinæ, de quibus rectè dixit S. Anselmus Cantuariensis: "Quoniam multæ sunt diversitates, quæ non in substantia Sacramenti, neque in virtute ejus, aut fide discordant, neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt: æstimo eas potius pro pace concorditer tolerandas, quam discorditer cum scandalo damnandas. Habemus enim à sanctis Patribus, quia si unitas servatur, charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa." Hæc ille in Responsione ad Vauleranni querelas c. 11.

VIII. Illud quoque certum est, unumquemque teneri hac in re ritum & morem suæ Ecclesiæ servare; adeoque juxta modernam disciplinam, Presbyteros in Ecclesia Latina non posse uti pane fermentato; imò eo utentes graviter peccaturos; ita quidem ut qui id scienter perpetrasset, officio & beneficio privandum esse, ex Cap. finali de Celebratione Missarum concludant Canonistæ.

IX. De forma hujus Sacramenti instructio pro Armenis loquitur his verbis: "Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum."

Omnes sive Orientales, sive Occidentales, tam antiquas quam modernas Liturgias in hoc conspirare notat Vir eruditissime Benignus Bossuet Episcopus Meldensis in explicatione quarundam difficultatū circa preces Sacrificii Missæ n. 45. quòd ipsa Consecrationis vis ipsius verbis

TITULUS IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I.

De Materia, Forma, & Ministro hujus Sacramenti.

- 1. Quid de hoc Sacramento habeat moderna professio fidei?
2. Quid Synodus Tridentina?

- 3. Contentio inter Patres Tridentinos occasione tertii Canonis.
4. Materia Eucharistiæ est verus panis triticus; & vinum de vite.
5. Non refert quæ sit species vini, modò sit vinum de vite.
6. Græci nuntur pane fermentato; eo etiam Latini aliquando usi fuerint?

bis Chriſti à Sacerdote prolatis adſcribatur: quamvis non eodem modo ubique proferantur.

X. Forma conſecrationis panis in Liturgia Ambroſiana edita à Pamelio eſt: *Hoc eſt enim corpus meum quod pro multis confringetur.*

Forma conſecrationis panis in Liturgia Græcorum exprimitur his verbis. *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis frangitur.* Et in Miſſali antiquo Morazabum, quod olim erat Hiſpanorum, exprimitur hac formula: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

XI. Forma conſecrationis calicis in Græcorum Liturgiis hæc eſt: *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Ita Liturgia S. Baſilii, & S. Chryſoſtomi; Liturgia S. Jacobi poſt verbum *effunditur*, addit, & *datur.*

Ambroſiam ritus formula conſecrandi calicis in Liturgia à Pamelio edita hæc eſt: *Hic eſt enim ſanguis meus.*

In recentioribus quidem Miſſalibus ritus Ambroſiani, quibus hodie utitur Eccleſia Mediolanenſis eadem eſt formula conſecrationis tam panis, quàm vini cum Romana quia multi ritus Ordinis Romani in Ordine Ambroſianâ Recentioribus induciti ſunt, ait Mabill. *lib. 1. de Liturg. Gall. c. 2. n. 8.* qui & ibidem *c. 7. n. 3.* notat, eandem fuiſſe Morazabicam formulam; at & hanc & illam nonnihil ſæculo 10. immutatam fuiſſe magiſque Romanæ accommodatam: cujus mutationis occaſionem ex Ambroſio Morales refert Baronius ad annum 918.

Extat hoc Miſſale Mozarabicum apud Mabillonium in citato tractatu De Liturgia Gallicana in appendice ubi & dicta conſecrationis verba leguntur pag. 448.

XII. Ex his facile eſt intelligere, non omnia, quæ in hodierna Romana conſecrationis, præſertim Calicis formula (qua univerſa hodie Eccleſia Latina utitur) occurrunt, eſſe planè neceſſaria pro validitate conſecrationis: quando quidem videamus hodie Eccleſiam Orientalem, & olim plures Eccleſias etiam Latinas alia formula uſas fuiſſe: unde S. Thomas non aliam conſecrationis formam agnoviſſe videtur tamquam neceſſariam pro *validitate* Sacramenti, niſi hanc *Hoc eſt corpus meum*: Et, *Hic eſt ſanguis meus* 3. p. 9. art. 2. & 3. concludit; proinde. "Quod ſi Sacerdos ſola prædicta verba proferret cū intentione conſecrandi hoc Sacramentum perficeretur hoc Sacramentum.

XIII. Nihilominus quia hodierna Eccleſia Latinæ formula conſecrationis uſitata, ſcilicet panis: *Hoc eſt enim Corpus meum*: Et Calicis: *Hic eſt enim Calix ſanguinis mei novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, extat in omnibus Miſſalibus; atque à pluribus ſæculis in Eccleſia Latina religioſè obſervata fuit nemo ab ea vel in minimo recedere poteſt; atque graviter delinqueret, graviſque caſtigatione dignus eſſet Sacerdos, qui vel ſcienter vel negligenter, eam ſive quidquam omitendo, ſive addendo, aut alio quovis modo immutaret, aut mutaret.

XIV. Prædicta quidè formula Calicis, non eſt in Scriptura Sacra, nec in Liturgiis (ait Menardus ad Sacram S. Gregorii pag. 19.) extat tamen in verſionem Codini: eſt: que optima, quia continet ſenſum aliarum formularum, quæ ſunt apud Evangelistas & S. Paulum. Hæc ille, qui ibidem notat, hæc verba: *Myſterium fidei*, non extare in antiquo Ordine Romano.

Quæſtiones plures, quæ tum inter ipſos Theologos, tum etiam inter Catholicos & Hæreticos circa materiam & formam hujus Sacramenti agitantur, hic non attingo; utpote quæ vel diſciplinam Eccleſiaſticam non tangunt, vel minoris momenti ſunt, & ab ipſis Theologis ſufficienter excuſſa.

XV. Si ipſius Sacramenti conſecrationem ſeu conſecrationem ſpectemus, ejus miniſter eſt Sacerdos legitime ordinatus: ſoliſque Sacerdotibus competere hujus Sacramenti conſecrationem; non obſcurè indicat Canon XVIII, Nicænus; dum arguit Diaconus, quod quibuſdam in locis Euchariftiam darent Presbyteris: "Quod, ait, nec Canon,

nec conſuetudo tradidit, ut qui offerendi poteſtatem non habent, iis qui offerunt, dent Corpus Chriſti.

Dicens enim, Diaconus non habere poteſtatem offerendi, ſed eam Presbyteris competere; non obſcurè ſignificat, nec Diaconis conſecrandi Euchariftiam poteſtatem competiſſe: quia conſecratio Euchariftiæ nonnisi in ipſa Sacrificii oblatione, etiam antiquitus fieri ſolebat.

XVI. Si verò Euchariftiæ jam conſecræ adminiſtrationem ſive diſtributionem ſpectemus, eam aliquando etiam Diaconis competiſſe fat innuit citatus Canon XVIII, Nicænus. Cùm enim prohibeat dumtaxat Diaconis eam Presbyteris adminiſtrare; idque hæc ratio: "quod neque Clerici, non neque conſuetudo tradidit, ut qui offerendi poteſtatem non habent, iis qui offerunt, dent Corpus Chriſti;" fat inſinuat, inferioribus Clericis & laicis Diaconos poteſſe diſtribuire Euchariftiam.

Et Sanè ante Nicænam Synodum hanc Diaconorum functionem clarè expreſſit Iuſtinus Martyr *Apol. 2.* "Et iis, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, unusquisque, participat, eademque ad eos qui abſunt, Diaconis dantur perferenda.

XVII. Hæc verò Diaconi faciebant, tamquam Episcoporum & Sacerdotum Miniſtri. Diaconus enim Græcè, Latine *miniſter* dicitur: eò quod Episcopis & Presbyteris miniſtret, ut ſupra *par. 1. t. 1. c. 3.* notavimus. Unde auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib. 8. c. 28.* ait: "Oblatione verò à Presbytero aut Episcopo facta, ipſe Diaconus dat populo, non tamquam Sacerdos, ſed tamquam qui miniſtrat Presbyteris.

Hæc de cauſa jam pridem in Concilio Carthaginenſi *IV. Can. 38.* apud Gratianum *Diſt. 93. Can. 18.* decretum fuit: "Præſente Presbytero Diaconus Euchariftiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, *juſſus* erogat.

XVIII. Nota, hæc agi de datione Corporis Chriſti; qua indicatur datio Euchariftiæ ſub ſpecie Panis. Diſpenſatio enim Sanguinis Domini ſub ſpeciebus Vini ſpecialiùs ac frequentius in omnibus paſſim Eccleſiis Diaconis competiſſe; atque de hac ſola loquitur S. Cyprianus *libro De Lapſis* dicens: "Ubi verò ſolemniùs adimpletis Calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit &c. Hinc & illud à S. Laurentio Diacono dictum ad Xyſtum Papam: "Experire, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem? Apud S. Ambroſium *lib. 1. De Officiis c. 41.*

XIX. Quamdiu hic diſpenſandi uſus per Diaconos in Eccleſia duraverit, incertum eſt. Admodum veriſimile eſt, eam deſiſſe, quando Communio laicorum ſub ſpecie Vini deſiit; id eſt, ſæculum 12. aut 13. Veſtigium nihilominus hujus diſciplinæ eſſe videtur, quod Diaconus in Miſſa ſolemni juxta hodiernum ritum offerat cum Presbytero celebrante *Calicem*, atque una cum celebrante verba oblationis pronuntiet; non autem *Panis*; ideoque & in oblatione Calicis dicitur pluraliter: *Offerimus*, cum in oblatione Panis dicitur ſingulariter, uti notat Cardinalis Bona *l. 2. Rerum liturg. c. 9. n. 5.*

XX. Cæterum hodie ſoli Presbyteri Euchariftiam adminiſtrant. Et quidem cum ſoli Episcopi ac Parochi vicaræ Animarum ſibi jure ordinario incumbentiſ habeant jus adminiſtrandi Sacramenta, ut ſupra *tit. 1.* obſervavimus, & aperte declarat Synodus Tridentina *Seſſ. 24. c. 13. De Reformat.* conſequens eſt, non omnibus Presbyteris, ſed ſolis Parochis competere, Euchariftiam jure ordinario ſuis reſpectivè Parochianis adminiſtrare; eoſque eſſe ſicuti aliorum Sacramentorum, Baptiſmi, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii, ita & hujus Sacramenti ordinarios miniſtros.

XXI. Conformiter ad hoc Parochorum jus decernitur in *Clementina I. De Privilegiis*, quod "Religioſi, qui Clericis laicis Sacramentum Euchariftiæ miniſtrare, non habita ſuper his Parochialis Presbyteri licentiâ ſpeciali præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolventi: quos etiam locorum Ordinarii (poſtquam de hoc

eis conſiderit] excommunicatos faciunt publicè nuntiari, donec de abſolutione ipſorum ipſis ſuper hoc fuerit facta fides, nullo Religioſis ſuper hoc exemptionis, vel alio privilegio ſuffragante.

Inſecuta hæc Clementinam declaravit Synodus Moguntina anno 1549. *parte 1. Can. 27.* Nulli Religioſo Euchariftiam ad conſeſſiones audiendas, ut præmittitur, adminiſtrare licere volumus cuiquam laico Sacroſanctæ Euchariftiæ Sacramentum, ſine ſpeciali conſenſu Parochi ad cujus curam ille pertinet, porrigere.

XXII. His tamen non obſtantibus non tantum Religioſi, ſed quicumque Presbyteri, etiam ſæculares ſolent paſſim ſine ullo ſpeciali Parochialis Presbyteri licentiâ, quibusvis peccatis Euchariftiam, ſaltem extra tempus Paſchale adminiſtrare; & illi quidem in Monasteriorum ſuorum Eccleſiis; & in Sacellis aut Eccleſiis, in quibus publice conveniente populo Miſſas celebrandi facultas eſt. Quæ conſuetudo veriſimiliter invaluit, poſtquam etiam in Religioſorum Eccleſiis & aliis Sacellis publicè Miſſæ, id eſt, ad quas populus admittitur, celebrari cœperunt.

XXIII. Cùm enim Communio ſit quali pars ipſius Sacrificii, conſequens viſum fuit, quod ubi Sacrificio intereſſe liceret, ibi & Communione accipere poſſent; atque ita tandem jus Eccleſiæ Parochialis ad ſolam Communione Paſchalem; & Parochorum ad hujus, nec non Viatici adminiſtrationem redactum creditur.

XXIV. Cæterum ſicuti ex Parochialis officii neglectu plurima incommoda nata ſunt oriri, uti verbis S. Caroli oſtenſum eſt *parte 1. tit. 3. cap. 10.* ita hæc libera & generalis à quocumque Sacerdote, & ubique accipiendæ Euchariftiæ libertas, ſecum nata eſt trahere inter alia incommoda, Sacramenti illius multiplicem profanationem; diſſeſtibus quibusque etiam notoriis peccatoribus, via aperta eſt, ſine ullo repulſionis metu ad Sacram Euchariftiam accedendi, Quid enim facilius eſt, quàm neglecto Parochiali Presbytero, cui ejus vita nota eſſe poſſet, ad alium aliquem ignotum Presbyterum recurrere, atque ab eo Euchariftiam petere & accipere?

Quis non videat, quàm parum efficacia ſint futura durante hac conſuetudine, quæcumque de repellendis publicis & notoriis peccatoribus à Sacra Communione in Synodis toties decreta fuerunt? Episcopi aliique Pælati, quibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſervatio, & reſtauratio præſertim quæ ad dignam Sacramentorum ſuſceptionem exigitur aut ſaltem multum conducit] ſpecialiter incumbit, expendere poterunt, quid ſecundum temporum & locorum conditionem fieri aut ſtatui expediat, ut hiſce incommodis occurrere poſſit.

C A P U T II.

Qui ad Communione admittendi, qui repellendi;

1. Euchariftia ſemper conſiderata ut cibus ſpiritalis.
2. Recentior baptizatiſ etiam infantibus olim data.
3. Hæc diſciplina ſæculo 11. adhuc vigeat in Eccleſia Latina; & hodie vigeat apud Græcos.
4. Synodus Tridentina hæc diſciplinam non improbat; ſed Euchariftiam infantibus non eſſe neceſſariam docet.
5. Hodie pueri non admittendi, ni ad uſum rationis perſeſerint, & ritè ſint inſtructi.
6. In pueris admittendis ad Communione non tantum ſcientia, ſed præcipue probitatis ratio habenda.
7. Quæ ratio in præparandis pueris ad primam Communione ſervanda.
8. Quæ cura adhibenda circa pueros qui penè ad ætatem convenientem pervenerunt.
9. Conſultum ut pueri prævè aliquoties Parocho fuerint conſeſſi.
10. Eccleſia ſemper fuit ſollicitane indignis Euchariftia detur.
11. Olim ante Communione alta voce dicebatur à Dia-

cono, Sancta Sanctis

12. Hodie Parocho ſapius monere debet populum, qua præparatione accedere debeat.
13. A Sacra Communione indigni repellendi.
14. Si notoriè & publicè indigni ſint, etiam publicè repellendi.
15. Hi repellendi, niſi de eorum penitentiâ conſeſſerint, & ſcandalò ſaiſecerint.
16. Etiamſi Sacramentaliter conſeſſi, & abſolutionis obtinent reſtiſimonium habeant.
17. Non tantum nominati in Ritualibus, expreſſi ſunt repellendi.
18. Qui reverà ſunt converſi ſed hætenus non eſt nota converſio, occulte, non publicè admittendi.
19. Qui publici communi & vulgari acceptione dicantur?
20. A mente Eccleſia recedunt, qui hic requirunt notorietatem juris.
21. Ex hac reſtrictione inuſitata redduntur Decreta Eccleſie in hac materia.
22. Minus verendum quod hic excedent Parochi, quàm quod deficient: & quare?
23. Opus tamen quadam Chriſtiana prudentia.
24. Hodie damnatis ad mortem in quibuſdam Eccleſiis datur S. Euchariftia.
25. Alia olim fuit diſciplina: & quæ huius ratio?
26. Quid circa oculos peccatores ad Communione accedentes obſervandum?

I. Semper in Eccleſia conſiderata fuit Euchariftia tamquam cibus & potus ſpiritalis, quo in Chriſto ſpiritualiter renati, vitam hanc ſpiritualem alere, confortare & conſervare deberent.

II. Hæc conſideratione multis ſæculis uſitata fuit, ut mox poſt collatum Baptiſmum etiam ipſa Sacra Euchariftia tamquam ſpirituale alimentum recenter in Chriſto renatis porrigeretur; ut ſupra *titulo 2. cap. 2.* monuimus. Idque adeo generaliter obſervabatur, ut & ipſis pueris in tenera & infantili ætate baptizatis Euchariftia daretur.

Hujus diſciplinæ plurima eaque evidentiffima teſtimonia extant, præſertim apud Patres (ex aut ſeptem primorum ſæculorum). Imo in ipſo S. Gregorii Sacramentario *titulo De Sabbatho Sancto* de infantibus baptizatis dicitur: "Qui etiam non prohibentur lactari ante Sacram Communione, ſi neceſſe fuerit.

Quod & præſcribitur in veteri Ordine Romano, qui ipſo Gregorio recentior putatur.

III. Hanc diſciplinam dandi ſacram Communione infantibus adhuc ſæculo 11. vigiſſe in aliquibus Eccleſiis Latinis innuit non obſcurè Hugo à S. Victore qui eo ſæculo ſcripſit: "Pueri recens natiſ idem Sacramentum in ſpecie Sanguinis eſt miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter ſugere poſſunt.

Apud Græcos eadem etiamnum hodie diſciplina ſervatur, uti ex modernis eorum Ritualibus ſive Euchologiis colligitur, teſtaturque Græcorum rituum peritiſſimus Accudius *lib. 3. de Sacram Eucharift. cap. 11.*

IV. Eccleſia latina tamen nec antiquam Latinorum Patrum diſciplinam, nec modernam Græcorum improbet, nihilominus ob reverentiam tanto Sacramento debitam, contrariam diſciplinam ſæculo 12. & ſequentibus ſenſim inductam, in Synodo Tridentina declaravit merito eſſe retinendam; ipſoſque infantibus nulla neceſſitate obligari ad Sacram Communione; ac per conſequens declarat, contrariam Antiquorum præxim, ad diſciplinam dumtaxat pertinuiſſe, verba Synodi ſunt *Seſſ. 21. cap. 4. De Communione*: "Denique eadem ſancta Synodus docet parvulos uſu rationis carentes nulla neceſſitate obligari ad Sacramentalem Euchariftiæ Communione: ſiquidè per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt; neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem